

069

067

073

063

078

058

118

018

168

568

Ende

Anfang

58

naturae opus praeoccupando mirabiliter arte perficitur, nam pulli gallinarum de oyorum testis educuntur arte humana, sine gallinarum foetura, hoc modo: domus illa est domus bassa vel dimissa, et ampla vel larga, et in illa stant multi fornaces demissi et bassi, super quos in palea ponuntur ova, quanta quilibet apportaverit ad habendum ex eis pulliculos. Portant enim mulieres ova in domum istam ad educendum pullos, sicut portant pastam in pistrinam ad coquendum panes. Apportatis autem ovis et super fornaces collocatis in paleas ad hoc aptas imponunt fornacibus temperatum et proportionatum ignem, quo accenso materia foetus maturatur in ovis, et suo tempore, h. e. duodecimo die, excubata sunt et pulli exeunt, arte officium naturae mirabiliter prosequente. Statim autem pullificator reddit pullos ei, cuius erant ova, accepto pro suo opere censu debito. Igne et carbonibus semotis a fornace, dum adhuc calet, imponunt paleas vel fimum in fornacem, et excubantur calore pulli. Sic ergo supra fornaces et intra excubantur. Hoc non nisi tribus anni mensibus practicatur, scilicet in Majo, Junio et Julio, aliis temporibus ars nulla juvat. Illis autem praefatis mensibus est maxima pullorum et gallinarum multitudo in Aegypto, quia etiam praeter hanc artem alio modo absque gallinis pulli de ovis educuntur. Nam Vincentius in Spec. Natur. L. 17. cap. 85. dicit, quod in Aegypto homines ova stercore involvunt, et sabulo cooperiunt, sique debito tempore sine foetura gallinae complentur, et eis completis testae scinduntur et pulli prodeunt. Faciunt enim duos parietes de asseribus longos, a se invicem duos passus distantes, et inter parietes ponunt calidum fimum, et superius faciunt cavernas in fimo, quasi nidas gallinarum, et ova imponunt, et super ea spargunt arenam, sique sole calefit arena et fimus, et pulli educuntur sine incubatione gallinarum. De hac incubatione ovorum loquitur etiam Diodorus, Antiq. histor. sic enim L. 11. c. 3. dicit: Aegyptii non incumbunt ovis aves, sed ipsi ingenio et naturali arte ex ovis praeter caeterorum consuetudinem educunt foetus. Nec hoc est multum mirabile, cum secundum Albertum Magnum 17. Libr. de animalibus cap. 3. multorum animalium ovantium pulli exeunt sine incubatione ex calore solis, qui est in terra ex radiis solis. Imo aliqua animalia numquam accedunt ad ova sua, nec sedent super ea propter cubationem, sed aliquando propter ovorum protectionem et custodiam. Porro

